



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 30. Pontificis studium Principes ad bellum contra Turcas adhortantis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A.C 1457.

§. XXX.

Pontificis studium Principes ad bellum contra Turcas adhortantis.

Interea Pontifex in rebus adversus fidei hostes promovendis, atque Christiana fide tuenda nil intentatum relinquebat, & quamvis aliunde motibus Italicis graviter urgeretur, & Picinini, aliorumque vexationibus sese opponere cogeretur, nihilominus in Orientem duas alias triremes cum pecuniis misit ad Cardinalem Aquilejensem, qui jam antea sexdecim ejusmodi naves eo conduxerat. Præterea Callistus omnes Principes Christianos, præcipue vero Hispanos adhortabatur, ut arma sub vexillo S. Crucis adversus communem fidei hostem caperent; Quocirca Castellæ ac Lusitanæ Reges Papæ monitis acquiescentes per omnes suas ditiones sacram militiam promulgari jubent, Alphonsus quoque, ut animi ad bellum sacrum parati facum orbi faceret, ex tota auri massa, quæ sibi ex Guinea ab Henriquez Patruo suo recens inventa advehebatur, quamdam monetæ speciem cudi jussit, quam *loz cruzados* nominari voluit, quasi significari cupiens *cruciatam*. Cum vero successu temporis Castellæ Regem, ceterosque Principes Christianos votis summi Pontificis

tificis respondere non admodum sollicitos comperisset, & ipse horum exempla, Sæcul. XV.
A.C. 1457.
suique animi jam aliunde ad hoc bellum parum propensi studia secutus est, & contra Mauros in Africa sua arma convertit.

§. XXXI.

Callisti defensio contra Germanorum querelas.

Cum interea summus Pontifex tanto, Æn. Sylv.
epist. 371.
quamvis vix non frustraneo studio, Turcarum progressus sistere conaretur, Germani contra optimum hunc Patrem nimia animi acerbitate querelas fundunt. I. Querebantur illi, se justo majoribus opprimi pecuniarum exactionibus, quæ sub prætensa eas in expeditionem sacram impendendi necessitate petebantur. II. Concordata circa Episcoporum, & Abbatum electiones, necnon circa beneficiorum reservationes violari aiebant. Pontifex Æneæ Sylvio, ut ad hæc querelas Friderico Imperatori responderet, negotium dedit, quod & ipse præstitit die trigesima prima Augusti datis ad eundem literis.

§. XXXII.

Responsum Æneæ Sylvii ad Germanorum querelas.

Igitur ad primum respondit Æneas hoc ferme modo: Summus Pontifex nihil
Ii s unquam